



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

Cap. Octavum. Quomodo Lutherus publicè è suggestu docere coeperit &
quam ob caussam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

gloriose scriberet: *Theologia nostra & S. Augustinus prospere procedunt & regnant in nostra Vniuersitate Deo operante, Aristoteles (nempe Philosophia) descendit paulatim, inclinatus ad ruinam prope futuram sempiternam. Mire fastidiuntur Lectiones sententiarum (nempe Theologia Scholastica) &c.* (a) maxime vero tunc Diaboli versutia ingenio huius hominis abuti coepit, quum infelix illa inter Dominicanos & Augustinianos de Indulgentiarum prædicatione contentio exarasset. Quam ille fouere cupiens, iuuenem hunc monachum rebus suis valde commodum fore videbat, utpote audacia & confidentia plenum, sophisticam præterea, non indoctum & volubilis sermonis, & ex hoc ipso superbum & ambitiosum: & qui quum fræno opus haberet, gloriæ calcaribus quum à se ipso tum ab alijs (b) iuincitaretur. Et hæc quidem ambitio præcipuus fuit vnus quo diabolus eum in rete suam pertraxit: ut qui magnifice se circumspiceret, ac nihil non sibi tribuendum existimaret, videns vnum se esse tam multis ad hanc quæstionem agendam electum. Singulare hoc diaboli est artificium, & quasi duplicatus ictus quo ille ad extremum fere contra eos vitur qui reliquos eius ictus fortiter exceperunt. *Superbia*, teste Augustino, (c) *communis omnium hæreticorum mater est*. Et alius ait, in *Hæreseos regno Ambitionem & superbiam primas tenere sedes*. Quatuordecim annis Lutherus in Monasterio vixit, ad rebellandum semper pronus, inconstans, & quotiescumque turba aliqua aut dissidium inter Fratres existisset, dux magis partium quam assidua. Hoc scilicet hominum genus diabolus quærit. Placidis & quietis amantibus ingenijs non vitur, sed feris, impetuosus & vana gloria ac superbia inflatis. Talis Lutherus fuit: instrumentum scilicet diaboli rebus promouendis aptissimum, ut ex tristis huius historiæ serie patebit.

QUOMODO LUTHERVS PV-
blice è suggestu docere coepit:
& quam ob causam.

CAPIT VILL

ARGVMENTVM.

- I. *Controversia siue contentio inter Augustinianos & Dominicanos de Indulgentijs orta.*
- II. *Staupitius Luthero concionandi dat negotium.*
- III. *Lutherus in oppugnandis Indulgentijs mirifice de-
judat.*

IV. *Ad Episcopos de suo concionandi instituto & materia scribit.*

V. *Indulgentiarum insignes abusus, à Fr. quodam Thoma enarrantur ac deplorantur.*

VI. *Iusta Dei aduersus eiusmodi abusus iudicia.*

I. **Q**UEMADMODVM Martis olim sacerdotes inter duos exercitus consistentes, faces accensas coniciebant, ut eo signo dato imperus fieret, ac hostili acie concurreretur; sic diabolus vbi duas velut Augustinianorum & Dominicanorum legiones in mutuum perniciem armatas & in procinctu stantes vidit, oleum igni modis omnibus suffundere allaborauit, ac præcipue partium duces, quorum plerisque de sua magis quam Dei gloria, ac de olla potius quam animorum salute, certamen erat, inuidia, odio, auaritia & ambitione accendit. In quo certamine boni quidem sancto diuinæ gloriæ zelo impellebantur, veruntamen cæcum malorum imperum sistere aut cohibere non poterunt. Sic ergo duo hi Monachorum ordines velut collato pede & infestis signis congregi coeperunt, Luthero vnus, Tecelio alterius partis duce & ante signano. Agnoscamus hic iustum Dei iudicium, qui domum suam purgaturus, dissidium hoc inter duos ordines existere permisit; nec strictum semel terribilis iræ suæ gladium prius recondidit, aut plagas sanauit, quam iustitiæ suæ satisfactum, & castigationis tempus sit elapsum. Sed ad rem ipsam accedamus.

II. Staupitius Generalis Augustinianorum Vicarius, ingenium & mores Lutheri optime perspectos habens, eum adauit, ut contra Indulgentias prædicaret, eorumque quibus illas publicandi munus demandatum erat, vitia & abusus populo ostenderet. Et hoc quidem munus lubenter ille suscepit, tum ut iniuriam Ordinis sui fratribus, ut putabant, illatam, vindicaret; tum ut gloriam & lucrum ex Indulgentijs speratum Dominicanis è faucibus eriperet. Sic illi per inuidiam & auaritiam in suggestum producto, propria Ambitio arma contra comunem Dominicanis cum Ecclesia causam, ipsamque Ecclesiam subministravit. Excitata huius turbæ Staupitium non semel pœnituit. Sed fero quidageret? lacta erat alea: telum ex arcu excussum reuocare non licebat. Idem ei accidit quod
a *Selneo pag. 5 Epist. Lutheri.* b *Staupitius Vic. Generalis Augustin per Germaniam & alij seq. cap. nominandi hi fuerunt.* c *Lib. de offi. past. cap. 8.*

quod Erasmus: qui quum liberius aliquanto de monachis, quos male ipse tractarat, & à quibus male ipse parumque honorifice tractatus fuerat, scripsisset, sæpe postea dixit & scripsit, si quæ sequuta sunt tempora nouisset, & Lutheri furorem præuidisset, numquam se facturum fuisse, ut eiusmodi filiorum parens, aut eiusmodi discipulorum doctor fuisse videretur; ut ex eius ad Albertum Carporum Principem epistola apparet. Verum sapientis non est dicere, *Non putaram*. Multorum est opinio, ab Erasmo primum portam hanc apertam, quam Lutherus demum totam effregit. De vtroque certe Germani illud in ore habeat: *Erasmus, aiunt innuit; Lutherus irruit. Erasmus parit oua; Lutherus excludit pullos. Erasmus dubitat; Lutherus assuevit*. Sic tum quoque scholastici homines de vtroque Græcum illud vsurpabant *Ἐράσμος λουθηρίζησιν, ἢ λουθηροσ ερασμιζέσιν*, Aut *Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmitizat*. Ego certe hunc grauem Lutheranæ sectæ aduersarium fuisse persuasum habeo, ut sequentia ostendent; quamuis Ecclesiæ hostes quidquid possunt è scriptis eius colligant & corradant, quò ostendant Lutheranum eum fuisse; interim multa prætereunt, è quibus contrarium euinci possit inter quæ excellit illud in versione Noui Testamenti Act. XIII. *illis autem Sacrificantibus & ieiunantibus &c.* Vnde Missa Sacrificium euidenter aduersum Lutheranos euincitur. Ipse certe Erasmus ad Pontificem & Theologicam Facultatem Parisiensem humiliter scripsit; & libros suos censuræ subiecit. Quidquid hac de re sit, sic sentio, scripta Erasmi sano iudicio lecta & accepta (prout in Indice Expurgatorio librorum proponuntur) pietatem & timorem Dei legentium animis imprimere.

III. Accepto igitur à Vicario sui Ordinis mandato, Lutherus ambitione tumidus quod tantum munus iam dudum expectatum sibi demandatum esset, suggestum ascendit, nunc huc nunc illuc discurrens, abusus Indulgentiarum, Prædicatorum fraudes & expilationes quam odiosissime perstringere & exagitare nusquam cessans, inter alia dicens, *pueram hanc esse fraudem, ab Ecclesia adinuentam ad homines prouocandos ad pietatem & deuotionem. Et licet malum non sit, decipiendum ita se præbere, ad maiorem deuotionem, non tamen nimiam his rebus ad eam deceptionem piam adhibendam credulitatem aut fiduciam ad mouendam esse &c.* Ridicula etiam, ut erat ingenio festiuo & mordaci, nonnunquam intermiscibat, ita tamen ut non raro verba aliqua ipsi

exceiderent, quibus non solum S. Romanæ Sedis dignitas violabatur, verum etiam capitis Ecclesiæ potestas in dubium vocabatur. His suis ille de clamationibus tantum effecit, ut complures Indulgentiarum præcones pro argento iniurias & conuicia domum retulerint. Accessit, quod non multo post de Selimi morte allatum nuntium omnem fere prioris deuotionis calorem restinxit. Extinguit enim tanto tyranno, cuius vastis cupiditatibus ne totus quidem Mundus sufficere videbatur, quemque perpetua quædam felicitas ad sepulcrum vsque comitata fuerat plerique, Germani præsertim, omni se metu liberatos credebant.

IV. Lutherus sermone & voce Indulgentiarum abusus perstringere non contentus, scripta insuper ad Albertum Archiepiscopum Moguntinum & Hieronymum Brandenburgensem epistola, acerrime in eorum præcones inuectus est, inter alia exprobrans, quod ad populum profiteri non erubescerent, eodem momento, quo argenti in peluim coniecti sonus audiretur, animas è purgatorio euolare; atque Indulgentiæ saluum esse conductum, quo anima ad cælum ceruò ac tutò perducerentur. Hunc se ab usum silentio præterire non potuisse, quum nemo de salute sua, neque etiam per gratiam Dei nobis infusam certus esse possit; quum iustus etiam, ut D. Petrus testatur, vix saluetur. Sed ab hac doctrina non multo post Lutherus deflexit. Neque epistolam eius vterque valde morabatur, utpote hominis obscuri, & qui scribendi hanc provinciam si vero zelo duceretur, ei cui ea ex Ordinis Ecclesiastici regula & præscripto incumbebat, relinquere debuisset. Neque hic eius stetit audacia: sed epistolæ insuper propositiones quasdam adiunxit, è quibus omnis illa disputatio postea nata est. Quin & maiora audens Theses suas publice affixit, & in scholis disputandas proposuit, *Indulgentiarum præcones passim auaritia & sceleris quæstus, vniuersum vero Ecclesiasticum Ordinem negligentia, desidia & ignorantia insimulans*. Ex aduerso Tezelus non minus impiger ad se munusque suum defendendum, quam Lutherus audax fuerat ad erimandum, suas & ipse Theses publicauit, quibus *Luthero respondet, Hæreticum eum appellans*. Lutherum Saxonix Ducis Electoris; Tezelium Pontificij Legati sustentabat auctoritas, qui quod id muneris Tezelio demandasset, desertum eum pati, aut Lutheri insolentiam ferre salua auctoritate, non poterat. Præter communem utilitatem, etiam de priuato honore argebatur. Fatemur libere

(enim vero, velimus nolimus, fatendum est) non sine causa vitia eorum qui animarum curam agere debebant, à Luthero fuisse reprehensa. Multi enim non oves, sed lanam; non gregem, sed adirem gregis quærebant. Paucis cura erat caulæ recificendæ, & contra luporum insidias & imperus obstruendæ. Ventris curam plerique agebant, & popelli simplicitate abuentes, in vendendis Indulgentijs, & carnis diebus vitæ comedendæ licentia, quæstum magis quam animarum purgationem spectabant; quum populum docere potius ista debuissent: *Clauibus quæ à Deo S. Petro & successoribus eius data sunt, vere pœnitentibus cœlum recludi, obstinatis peccatoribus ocludi: à Papa Dei in terris Vicario, Indulgentias ex inexhausto Ecclesie thesauro, qui ex infinitis Saluatoris, tum postea etiam Deipare Virginis & Sanctorum meritis congestæ sunt, proferri: Tum, quomodo pœna æterna in temporalem commutetur: Quomodo mille, duo millia, &c. annorum in Indulgentijs intelligendæ sint: Quæ & quam antiqua huius rei in Ecclesia fuerit consuetudo, ad salutem eius filiorum instituta & semper hæcenus usurpata, &c.* Ista verò: *Animas audito argenti in peluim coniecti sono, in Purgatorio præ gaudio exsilire, ac continuo euolare, tumque statim etiam maxima peccata remissa esse: qui argento numerato Magnas has Indulgentias (sic enim nominabant) sibi acquisierit, ei magnas Cœli portas stare apertas: & pœnam & culpam deleri, immo etiam futura peccata Indulgentiarum beneficio remitti: Ista, inquam, sine scandalo dici non poterant. Hæc tamen posteriora Indulgentiarum præcones dixisse ac docuisse, Lutherus in epistola ad Henricum Brunsvicensem Ducem scribit: idemque Teclium alijs horribilibus blasphemijs, quas vix diaboli ipsi utpote vafri ingenij spiritus, proferre audent, onerat. Et hoc est quod tam hoc, quam alia istius accusationis capita, suspecta reddidit. De eadem re Guicciardinum audiamus, (nisi is ex fide aduersæ partis ea scribat, nempe.) *Argentum hoc, inquit (a) à Commissariis ad hanc exactionem deputatis impudenter petebatur: quorum plerique à Papa Officiarij potestatem hanc emerant. Plures eius ministri potestatem animas à Purgatorio liberandi viliprecio vendebant, aut in tabernis consumebant.**

V. Audiamus etiam quid bonus ille Eremita, cuius supra cap. iv. mentionem fecimus, Fr. Thomas eadem de re senserit ac dixerit: qui non minori asperitate quam Lutherus, sed longe alia conscientia & diuerso prorsus sine in impudentes hæc exactores invehitur. Sed operæ precium est

è libro, quem penes me habeo, qui etiam Anno M. D. XXII. typis est editus, verba quædam eius exscribere. *Vide quæso, inquit, Christiane Lector, quomodo Bullistæ, vel potius nebulones illi Christianum populum decipiant. Discurrunt illi per montes & valles, & miseros idiotas facultatibus suis exspoliant. Vtque tanto melius ac facilius deglubere eos possint, cum Parochis rem & consilia conferunt, dicentes: Domine Paroche, apportamus Indulgentias plenarias. Quod si vestro mandato populus conuenerit, & Processiones factæ fuerint, nos tertiam eius quod inde collegerimus vobis dabimus, & de bonorum hominum fortunis vnà lati conuiuabimur. Ibi Parochus concubinarijs, indoctis, mercenarijs & non Pastor, quod ventrem suum replere & scortum alere possit, cum istis Bullarum portatoribus transigit: qui pecunia inde per fas & nefas collecta, corruunt, saltant, genioque indulgent: interim simplicitatem illorum rident qui opinione peccatorum veniam consequendi, aut captivo redimendi, pecuniam profunderè non dubitarunt. O bone Deus! quis recensere possit ea flagitia, quæ sub Indulgentiarum prætextu ab infamibus istis quæstoribus atque etiam redemptoribus committuntur? Sunt enim quidam adeo stulti, ut profligat à omni conscientia, Epicureorum more dicant: *Agite, latos agamus dies, voluptatibus indulgemus: exiguo precio redempta Bulla noxas nostras omnes quantumuis graves & enormes, delebit.* Multa alia ab eodem in eandem sententiam scripta omitto: non sine summa animi acerbitate hæc ipsa à veritate scribere coactus. Consimilis querela bonorum fuit tempore PP. Ioannis XXIII. (b) tum quum ille Indulgentias contra Regem Neapoleos promulgauit; quæ Bohemorum animis iam ante à Ioanne Hussio accensis, multo ardentiores faces subiecerunt, vt libro iv. à nobis diceretur. Debit tamen Sleidanus in libri sui vestibulo, vbi de Bulla Leonis X. agit quæ velur pomum Fridis fuit, maiori vti integritate & fide. Scribit enim *Papam remissionem omnium peccatorum & regnum cœlorum promississe, ijs scilicet qui argentum pro Indulgentijs numerassent.* Sed cur, quæso, idem Pœnitentiam, Confessionem, Restitutionem ablatorum, quæ in eadem Bulla iniunguntur, vs cœlestium clauium potestatem, contritionem, orationem & eleemosynam mediantibus Indulgentiam pœne peccatorum in ea promissam consequamur, omisit? Verum relinquamus ista, quæ à quibusdam nequiter & flagitiose perpetrata Ecclesiæ tamen iudicio, ut patet, nunquam probata, iram Dei in omnes prouocauerunt.*

a Guicciard. lib. 3. Peucer. in Chron. Carionis.

b Æne. Syl. cap. 35. Hist. Bohem.

V. Hic

VI. Hic vero expendamus an iam cuiquam mirum videri debeat, si magnus ille iudex (semper bonus, semper iustus, qui in pondere & statera omnia mensurat) brachium suum exseruerit, & manum fulminibus impleuerit, ad deiiciendum & proterendum eos qui ipsius bonitate, eaque potestate, quam ille certis hominibus in terra commisit, abusi sunt: an & mitum? Si Germaniæ Episcopos & Prælatos in seruitutem dedeirit, quum antea diuitijs, potentia & maiestate etiam maximis Europæ Principibus non cederent, iam multis in locis tenui aliqua & miserabili pensione, à suis hostibus pene dicam emendicata, vel ex inæquali cum ipsis diuisione sibi relicta portione fruuntur, imo prorsus plurimis locis exterminati sunt de terra? quamuis reliquij hoc tempore melior fortuna affulgere incipiat. Annon Deus ipsi per Malachiam Prophetam prædixerat? *Propitius quod ego dabo vos contemptibiles & humiles omnibus populis: quia non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege mea.* Negari non potest Lutherum aliquam causam habuisse clamaadi, & sanctum nostrum Eremitam, suspirandi & votis poscendi Reformationem. Sed vt S. Bernardus Ecclesiasticorum vitia in idem asperitè reprehendens, intra professionis tamen & officij cancellos se continuit, & Monachos curæ suæ commissos tanto diligentius rexit: sic Lutherum decebat, si Spiritu Sancto agebatur, in caritate Ecclesiæ succurrere. At longe aliam ingressus est viam, qui abiecto cucullo, è Monasterio profugus, non aquam in incendio, sed oleum & sulphureum puluerem affudit, quo domus, quam purgandum scilicet sibi sumserat, plane conflagraret, & in fauillam & cinerem redigeretur. Non est sanus iste modus purgandi, cum ex eo quod lauandum est, incendium aut pyram construis. Auaros igitur nonnullos quæstores & Indulgentiarum præcones excusare nolo, qui vulgi simplicitate abusi, magnam vim pecuniæ turpiter compararunt, ac turpius profuderunt. O turpis & infamis auaritia, radix omnium malorum; vt recte Apostolus te appellat! Tu primam Heresi portam aperuisti. Tu illam tam longam miseriarum nostrarum telam exorsa es: quemadmodum tu quoque innocentissimum Dei filium tradidisti. Auaritia, auaritia, inquam, horum sacrilegiorum primam Luthero ansam dedit: tum auaritia etiam quorundam Augustinianorum, qui ægrius forte ferebant quod & ipsi in partem non admissi essent cum ipso Luthero: quem, vt apparet, initio nihil

aliud in hanc arenam protraxit quam gloriæ desiderium; eo quem multo actius aduorsatorum vitia postea infectatus est. Quid, quod tum temporis Christiana charitas pluribus in locis extincta, & humilitas proscripita videbatur? In omnibus pene per septentrionem Religiosorum familijs dissolutione & superbia regnabant: vulgus erat longæ & crassæ ignorantie immersum. Sic nimirum cessante agricola. — *Infelix lolium & steriles dominansur auena.*

Ecclesiæ certe ager Borealis Prælatorum negligentia & pigritia totus quasi sentibus & spinis obductus squallebat; totusque ob morum dissolutionem & vitia, degenerat in myricas. Quod enim ad doctrinam vniuersæ Ecclesiæ Sanctitatemque eius attinet, ea integra semper manet & manebit, neque illius erroris poterit conuinci ob æternam assistentiam Spiritus Sancti, & promissam Ecclesiæ indefectibilitatem. Sed quem admodum senectus deformitatem subinde affert, neque vllum tam bene compositum est corpus, aut ædificium tam bene coagmentatum, quod non vetustate in aliqua parte corrumpatur; sic nulla est disciplina, etiam in Dei domo, quæ in longinquitate temporis situm aliquem non contrahat, & à pristina degeneret integritate, in hac vel illa regione terrarum. Ita enim comparatum est, natura lapsæ casu, ut quanto leges sunt antiquiores, tanto vitiosa natura subtilius rimas aduersus leges, quærendo, vitia multiplicando magis inualescat: omniaque sic quotidie fiant deteriora. In quo Natura aliter operatur quam ars quæ opera sua in dies politiora producit. Hinc Horatius de isto degenerate cursu Naturæ suæ concinit lyra:

*Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tula:
Nos nequiores: mox daturæ
Progeniem vitiosorem.*

PROGRESSUS CONTROVERSIÆ de Indulgentijs, Dominicanum Luthero sese opponunt: qui Romam citatus, demum caute S. Sedis Legato se sistit Augustæ, & quæ postea euenerint.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM.

I. Quid Leo X. Pontifex in his turbaturum initijs fecerit.
II. Dent.